DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ILIACA PASSIONE;

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

Auctoritate Dignissimi Vice-Cancellarii

REVERENDISSIMI NIGELLI CAMPBELL,

S. S. T. PROFESSORIS PRIMARII, ET ACADEMIAE PRAEFECTI;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA PRIVILEGIIS, ET HONORIBUS,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS PLOMER, ANGLUS,

Ad diem 15 MAII, hora locoque solitis.

SURGEON GEN'LS OFFICE
LIBRARY.

GLASGUAE,

IN AEDIBUS ACADEMICIS

EXCUDEBANT ROB. ET AND. FOULIS, ACADEMIAE TYPOGRAPHI

M DCC LIX.

VIRO

MORIBUS HUMANISSIMIS ORNATISSIMO,

DOCTISSIMOQUE MEDICO,

JOSEPHO BLACK,

MEDICINAE THEORETICAE PRACTICAEQUE

ET PHILOSOPHIAE CHEMICAE

IN ACADEMIA GLASGUENSI

PROFESSORI;

NEC NON

MERITISSIMO MIHI AMICO,

GULIELMO ROUET,

HISTORIARUM IN EADEM ACADEMIA

PROFESSORI;

OMNI SEMPER HONORE ET AMORE PROSEQUENDIS:

HANC SUAM DISSERTATIONEM INAUGURALEM

IN GRATISSIMI ANIMI TESSERAM,

MAXIMA QUA POTUIT,

AC DEBUIT

OBSERVANTIA,

SACRAM VOLUIT

JACOBUS PLOMER.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE ILIACA PASSIONE.

PROLEGOMENON.

Cum valetudo bona res ſit ſummi omnibus momenti; adverſa, contra, vitam humanam adeo miſeram et infelicem reddat; quid praeſtantius eſt arte medica, cujus ope illa ſervatur, haec vero tollitur. Ars haec, nobiliſſima aeque ac utiliſſima, partium corporis humani, ſtructuram, uſus, earumque actiones, explicat; morbos varios eorumque cauſas et effectus enarrat; ſigna in corpore et ſano et aegro, ſive diagnoſtica et prognoſtica, docet; modos qui-

bus vita et ſanitas conſervari poſſint praecipit; medicamenta et medendi methodum illuſtrat, ut ſalus reſtituatur, et morbi curentur.

Mihi quidem artis hujus praeſtantiſſimae privilegia ambienti, et diſſertationem qualem a candidatis exigi ſolet meditanti, nullum ſeſe obtulit majoris momenti argumentum quam MORBUS ILIACUS; qui, quamvis haud ita frequens, ubicunque tamen contingit, ſummum ſemper vitae diſcrimen infert, torminibuſque ſaevis adeo miſerrimum aegrum excruciat; quin et velocitate plerumque adeo pernici funeſtus evadit, ut, ſi quis alius, hic certe morbus et paratiſſimum animoque intentiſſimo medicum, et auxilia promptiſſima, requirit. Quatuor tantum aegros hocce morbo triſtiſſimo miſere laborantes videre mihi contigit; qui omnes periere praeter unum qui vitam egit maritimam.

In hoc morbo tractando, primo explicare conabor ejus nomen et definitionem; ſecundo,

cauſas antecedentes et proximas; tertio, diagnoſtica et prognoſtica; quarto, curam prophylacticam; quinto, indicationes curationis.

SECTIO I.

Nomen et Definitio.

ILEUS, Morbus Iliacus, Iliaca Paſſio, ſignificationem ducunt a morbi ſede; vocatur etiam Volvulus, Chordapſon, et Miſerere Mei. Volvulus, vel ab anxia corporis ob dolorem volutatione, vel ab inteſtinis convolutis vel contortis; nonnulli enim auctores inteſtina inſtar funis contorqueri in hoc morbo credebant; ſed falſam eſſe hanc opinionem, aut, ſaltem, haud veriſimilem, phyſiologia demonſtrat; munus eſt quippe meſenterii, a quo in ſuo loco ſuſtinentur inteſtina, ea, idonea mobilitate, ita firmare, ut a contortione optime conſervet: involutionem vero, vel ingreſſum ſuperioris inteſtini in inferius, et contra, eſſe ſatis frequentem obſer-

vat Etmullerus. Chordapſon nominatur, quoniam inteſtina tacta funi intenſo ſimilia ſunt, quod quidem oritur ex inteſtinis diſtenſis, inflatis, et conſtrictis, una cum muſculis abdominalibus nimium contentis; aut forſitan ab appellatione χόρδαψος, quo nomine inteſtinum veteres olim appellabant; ſed Miſerere Mei appellatur ob rationem nimis obviam ut explicari neceſſe ſit.

Hujus morbi definitio eſt, Dolor acutus in abdomine, una cum alvo pertinaciter adſtricta, et inverſo inteſtinorum motu periſtaltico, ut nihil omnino deſcendat; ſed aut potus, aut cibus, aut humores inquilini, aut ſtercus adeo ipſum, per vomitum ejiciantur.

SECTIO II.

De Cauſis antecedentibus et proximis.

Causae antecedentes in hoc morbo ſunt, Primo, aer nimis aeſtuans, qui humores mobi-

liores dissipat, exsiccatque lentiores; inde sequuntur exsiccatio, alvus adstricta, et habitus ad inflammationem pronus. Secundo, Compertum est, quod cibi et potus, vel copia vel qualitate, nocere possunt in morbis producendis; fructus acerbus immaturus, ut mala Cydonia, mespila, prunellae sylvestres, et similia; ut etiam alimentum valde solidum et siccum, ut castaneae, &c magna quantitate cum potu comesum parciore, alvi obstructionem producit. Alimenta quoque acriora et venena corrodentia, quae spasmos saevos, ipsasque etiam convulsiones producunt. Tertio, Temperamentum melancholicum vel hypochondriacum, ut etiam pathemata graviora, vel animi affectus vidlenti diu permanentes, vel spirituum animalium nimium dispendium in studiis nocturnis, vigiliis, venere, &c. corpus alvi astrictioni obnoxium reddunt; unde frequenter provenit hic morbus. Quarto, Nimia bilis evacuatio per

ſuperiora impedit foecum excretionem, et nimia retentio obſtructionem inducit in craſſis inteſtinis; unde tranſitus ex ileo partium contentarum impeditur, quae, adeo, condenſatae obſtructionem inducunt.

Si in cauſas hujus morbi proximas inquiramus eas reperimus eſſe praecipue inflammationem, ingreſſum ſuperioris inteſtini in inferius, vel e contra, herniam, obſtructiones a foecibus induratis aut tumoribus.

SECTIO III.

Diagnoſtica et Prognoſtica.

Hujus morbi ſymptomata ab initio ſunt alvi retentio pertinax, adeo ut nihil per inferiora deſcendat; quam non multo poſt ſequitur dolor urens, diſtenſivus, pulſatilis, punctorius, una cum gravitate ibidem plurima: febris plus minus acuta, rugitus inteſtinorum, cum inflatione, diſtentione, et tumore, regionis umbilica-

lis; deinde ructus vel exploſio materiae elaſticae; poſtea aegri nauſeant et vomunt, primo ingeſta, deinde recrementa flaveſcentia, ut bilem, ſerum ſtomachicum, pancreaticum, vel inteſtinalem, et tandem excrementa alvina, itemque clyſmata ipſa. ‘Imo glandes vomitu ‘rejiciuntur ob motum inteſtinorum inverſum, ‘ideoque aliquando inteſtinorum viae in ilio ‘non penitus praecluduntur’ inquit Sennertus. Adſunt etiam ſpirandi difficultas, corporis jactationes et vigiliae, etiam lipothymiae et anxietates, ſudores frigidi, extremorum frigus, urinae difficultas vel ſuppreſſio, pulſus debilis et celer, vires langueſcunt; ſingultus ſupervenit, denique mors ipſa.

Prognoſis. Hic morbus quovis tempore contingit: flatus per inferiora bonum eſt, etiam ubi non vehemens adeſt dolor, febris, aut inflammatio. Si oriatur ab hernia, non eſt tam periculoſus. Sed facile, poſt inteſtina in ſitum

naturalem reducta, idoneo medendi methodo ſanatur; ab inteſtinorum motu convulſivo, aut ab obſtructione, oriens, ſanari poteſt: ab inflammatione autem ortus, omnem medici operam eludit, quum ſcilicet copioſa ſanguinis miſſio parum profuerit. Vomitio recrementorum flaveſcentium, bilis, vel ſeri ſtomachici, non tam periculoſa eſt, quam pancreatici vel inteſtinalis: ſymptomatum autem omnium vomitio excrementorum, et clyſmatum cito poſt injectionem, maxime periculoſum eſt. Paſſio Iliaca in principio quidem ſanari poteſt; ſin autem aliquamdiu duraverit, raro, aut nunquam: ſi dolor ſit acutiſſimus et ſubito ſine cauſa manifeſta deficiat, ſignum eſt gangrenae; difficultas ſpirandi, vigiliae, delirium, lipothymiae, ſudores frigidi, extremorum frigus, urinae ſuppreſſio, ſingultus et convulſiones, peſſima ſunt; Hippocrates inquit ‘ ex morbo tenuioris inteſtini ‘ (ileum dicunt,) vomitio aut ſingultus, aut

'convulsio, aut delirium malum.' Sect. vii. Aphor. 10. 'Omnis ileus periculosus et rarissime convalescunt qui stercus per os ejiciunt;' inquit Sennertus; et certe observandum est in hoc morbo, quod plures intereant, pauciſſimi convalescant.

SECTIO IV.

Cura Prophylactica.

Optima cura prophylactica consistit in fugiendo fructus acerbos omnes; ut mala cydonia, vel matura, vel immatura, prunellas sylvestres, mespila immatura, et similia; etiamque alimentum valde solidum et siccum; itidem vina aspera, liquores spirituosos sine dilutione, et quicquid ejus generis est quod astrictionem alvi facit, necnon studium intensum, vigilias, omnia denique quae corpus ad habitum talem objicere possunt. 'Novi, inquit Willis, plures 'ventris constipationi obnoxios curatos fuisse,

'diluculo, et hora prius assueta citius e lecto 'surgendo: quantum enim a perspiratione so- 'lita adimitur, tantum ad alvum lubricandum 'additur.' Remedium autem optimum prophylacticum hactenus cognitum, quo alvi constipatio avertitur, est uncia olei amygdalarum dulcium primo mane sumpta, hora una vel altera ante jentaculum.

Quum ea species herniae, quae Enterocelon vocatur, saepe hujus morbi causa sit; omnia fugienda quae hanc producere possunt; videlicet, elevatio aut gestatio onerum ponderosorum, vociferationes impetuosae, risus profusi vel tussientes; etiamque nimia ex alimentis distensio ventriculi et intestinorum, conatus vehemens in excrementorum expulsione; salire, saltare, currere; quicquid denique prolapsionis intestinorum occasio sit.

Morbum hunc inflammatio semper comitatur; quicquid igitur humores efficit densos evi-

tandum eſt; quicquid etiam circulationem nimis auget; quoniam, aucto ſanguinis circulantis impetu, particulae ſpiſſae violenter in vaſa capillaria propelluntur; et, in ipſorum finibus anguſtis haerentes, ſanguini viam praecludunt; et hoc circulationis impedimentum magis augetur, ſi in corpore prius calefacto frigus ſubitum vaſa minora ſtrinxerit.

Quodcunque convulſiones efficit aſſidue evitari debet; ut cathartica medicamenta fortiora, et omnia ingeſta qualitatis cauſticae, quae ciunt tormina graviſſima, dolores excruciantes et affectus ſpaſmodicos producunt. Oritur etiam frequenter Iliaca Paſſio ex ingreſſu ſuperioris inteſtini in inferius, vel e contra; unde partis inflammatio, motus periſtalticus tubi inteſtinalis inverſus, excrementorum obſtructio; omnia denique dira mala conſequuntur.

Praeter ſuperiora, nimia purgatio etiam eſt cavenda, medicamentaque ea cathartica qui-

bus affectus ſpaſmodici efficiuntur, ut veratrum, aliaque hujuſmodi. Hippocrates inquit, Aph. 16. ſect. 4. ‘Veratrum iis, qui ſano ſunt corpore, periculoſum; convulſionem enim inducit.’ et Aph. 1. ſect. 5. etiamque Aph. 25. ſect. 7. ‘Convulſio ex veratro funeſta; necnon ex medicamenti purgantis potione, convulſio lethalis.’

SECTIO V.

Indicationes Curativae.

Post curam Prophylacticam, tractandum proxime de methodo medendi. Celſus inquit, ‘Cujus rei non eſt certa notitia, ejus opinor certum reperiri remedium non poteſt.’ Ad Therapiam igitur rite inſtituendam, accurate diſtinguendum eſt medico, an ſit hic morbus ab hernia, inflammatione, convulſione vel obſtructione; a foecibus induratis, vel tumoribus; vel ex pluribus horum ſimul concurrentibus.

Indicationes Curatoriae ſunt quatuor; nempe;

Primo, Si adſit Hernia, inteſtinum ~~prae~~ponere.

Secundo, Inflammationem imminuere et ſubducere.

Tertio, Motus convulſivos ſedare.

Denique, Obſtructionem amovere.

SECTIO VI.

Indicatio Curatoria Prima.

Ut primae indicationi proſpiciatur, adhibenda primo, enemata emollientia et carminativa; ut decoctum commune pro enemate cum oleo lini, melle, ſyrupo roſarum ſolutivo, extracto caſſiae, oleo diſtillato aniſi, foeniculi, et cymini: hoc foeces induratas et conglobatas emollit, ſpaſmos reſolvit, inflata diſſipat, alvumque lubricat; adeo ut foeces facile exonerentur, et abdominis diſtentio omnis tollatur.

Secundo, Fotus et cataplaſma ex emollientibus et carminativis. exempli gratia. Recipe fo-

liorum abrotani, abſinthii maritimi, florum camaemeli ſiccati, ſingulorum drachmas duas; coque in aqua fontis libras tres ad libras duas, ſub finem coctionis additis ſeminum foeniculi dulcis, carui, cymini et aniſi, ſingulorum drachmis duabus; colato adjice ſpiritus vinoſi tenuioris libram dimidiam; miſce pro fotu, ope ſtupharum e panno laneo parti affectae calide applicando, more fomentationis. poſtea applicetur cataplaſma ſequens. R. mic. panis unciam unam, ſap. alb. drach. I. lact. vaccin. q. ſ. miſ. contundendo probe in mortario, deinde coque parum ſimul, et poſtea add. cataplaſm. e cymin. uncias duas, camph. drach. ii. miſ. f. cataplaſma.

Tertio, His praemiſſis, et levato, quantum fieri poteſt, dolore, tumore, tenſione, inteſtina, chirurgi dextra, caute ſunt reponenda. Aeger in dorſum ſemper reclinandus, et inteſtina ſic repoſita in ſitu naturali, omni arte et debitis

ſubligaculis retinenda ſunt, ne denuo excidant; ut adeo peritonaeum ruptum aut laxatum conſolidetur. Sin inanis methodus vulgaris, ad chirurgicam inciſionem pergimus, quoniam magnum et ſubitum eſt ex procraſtinatione periculum, nec ſanare poſſumus morbum niſi inteſtinis relocatis. D. Harris, in Diſſertationibus Medicis et Chirurgicis, in hunc modum de hac operatione tradit, videlicet, 'In 'herniis inguinalibus ſiquidem deſcenſus foe-'cum alvi deorſum ſic obturatus, naturaliter 'per gulam regurgitat, aut ſurſum regreditur, 'et per vomitum pertinacem foeces exone-'rantur. Tunc nulla curatio reſtat, cum re-'ductio nequaquam poſſit effici, vel opera chi-'rurgica, vel emollientibus fomentis et cata-'plaſmatis, niſi difficillima iſta, maxime ex-'crucians, et periculoſiſſima, per ſaevam ope-'rationem chirurgicam, nimirum inciſa leni-'ter cute, membrana adipoſa, et tandem inci-

‘ ſis annulis muſculorum abdominis. In his
‘ diſſecandis maxima eſt habenda cura, ne in-
‘ teſtinum ipſum forte pungatur; id enim ex
‘ ſe lethale, praeter ſummum vitae diſcrimen
‘ ex ipſa operatione, quantumvis perite cele-
‘ brata, ex dolore ſcilicet acerbiſſimo, et viribus
‘ omnibus dolore iſto ademptis. Poſt iſtam di-
‘ ram operationem, chirurgus leniter reponit
‘ inteſtinum inguini, propter viſcidos humo-
‘ res ibidem ſtagnantes, tunc debet ſeparari
‘ prolapſum inteſtinum ſcalpello ab adjacen-
‘ tibus membranis quibus adhaeſit, antequam
‘ ejus reductio fieri poſſit. Si nihil fuerit illap-
‘ ſum praeter inteſtinum, quod in ſuam ſedem
‘ manibus reponitur per foramen ampliatum,
‘ annulis diſſectis, tunc operatio abſolvitur.
‘ Quod ſi epiploon ſimul fuerit illapſum, tum
‘ forti ligatura epiploi facta quoad poterit in-
‘ tus, tota ejus portio, quae fuit aeri expoſita,
‘ ocyus eſt abſcindenda metu gangraenae. His

demum peractis, et inteſtino atque epiploo repoſitis intra abdomen, dolores priores, remota cauſa, evaneſcunt; et ſacculo inguinali exinanito, et a congeſtis ſordibus mundato, chirurgus introducit foramini inciſo turundam eo tempore illinitam vitello ovi cum oleo mixto, et penicellos inciſioni adhibet, quos tegit emplaſtro aſtringenti, et comprimentia linea denſiora, vino tepefacto madida, emplaſtro ſuperimponit, opuſque ſuum includit commoda deligatione.

Et ejuſmodi operatio periculoſiſſima nonnunquam perficitur in Enterocele perfecta ſive prolapſu inteſtini in ſcrotum, ubi ſuffocatio contingit, ſequiturque exinde Iliaca Paſſio miſerabilis. Sed ſectio iſta crudelis et maxime dolorifica, nunquam temere tentanda, neque unquam ſine conſilio adhibito medicorum aut chirurgicorum peritiſſimorum et prudentiſſimorum. Eſt enim extremum om-

nium remedium, neque attentandum niſi maxima urgente neceſſitate, et reliquis omnibus praeſidiis incaſſum prius adhibitis.

SECTIO VII.

Indicatio Curatoria Secunda.

Secundae indicationi ſatisfaciunt, venaeſectio copioſa per magnum vulnus, quae et repeti debet pro ratione ſymptomatum urgentium, (et haec evacuatio etiam ad indicationem primam pertinet, ſi nil contra indicat,) clyſmata diluentia, reſolventia, emollientia et laxantia ſequuntur, ex foliis malvae, althaeae, parietariae, violarum et mercurialis; ex floribus liliorum alborum; ſeminibus lini, et radicibus althaeae cum oleo olivarum, oleo lini et chamaemeli et ſyrupo roſarum ſolutivo; extracto caſſiae et paululo olei aniſi diſtillati. tepide injiciuntur ter quaterve in die. Haec, fovendo intus inteſtina, eorum fervores, inflammationes, ſpaſ-

mos, cruciatus, mulcent, et ſanant; etiamque foeces induratas et conglobatas emolliunt; nec non flatus diſcutiunt, alvumque laxant. Adhibendus eſt, deinde, fotus diſcutiens et emolliens, ex floribus chamaemeli, foliis althaeae, malvae, ſeminibus lini foenugraeci, cymini et aniſi, etiam ex capitibus papaveris albi ſciſſis et cum ſeminibus contuſis, cui, poſt colaturam, adde coctioni ſpiritus vini rectificati et camphorati quartam partem.

Poſt adhibitas fomentationes applicetur epithema ſequens vel linimentum. R. aceti roſarum uncias duas, ſpiritus vini rectificati drachmas duas, camphorae drachmam dimidiam, miſce, fiat epithema parti abdominis affectae applicandum calidum. Hoc alte penetrat, poros aperit, humorem ſpiſſum inflammatorium attenuat, diſſipat, et per diaphoreſin evaporare cogit. Vel recipe ol. amygd. D. unciam, ſpt. ſal. armoniac. drachmas duas, ol. corn. cerv. drachmam, m. f.

liniment. cum quo illinatur pars affecta bis in die, ſuper imponendo pannum Wallicum calidum. Commendatur a nonnullis catulum viventem nudo ventri indeſinenter apponere. Omentum ovis recens mactati calidum, in abdomen impoſitum, mirum in modum dolorem lenit. Alii dicunt omentum et etiam inteſtina ipſa ex vivo animali quam calidiſſima abdomini applicari poſſe, multo cum levamine.

In hoc morbo medicamenta multa interna nequeunt adhiberi; ne promoveatur vomitio, quae inflammationem auget. Itaque ventriculus, primo loco, prae omnibus corroborandus eſt, et vomitio ſi fieri poteſt ſiſtenda. Hunc in finem, miſtura, ex ſale abſynthii, cum ſucco limonum, et aqua cinnamomi ſimplicis, parce ſed frequenter ſumenda. Hoc medicamentum ventriculi ſubverſionem mire reprimit, et vomitum efficaciter ſiſtit, ſi quidem medicamentis ſiſti

poterit; quinetiam amovendae inflammationi utile eſt.

Proximo loco, medicamenta alia contra inflammationem neceſſaria; qualia ſunt diluentia, emollientia, reſolventia et ſudorifera; ut nitrum, coccinella, infuſio ſeminum lini, decoctum pleureticum et coccinellae Fulleri, et ſimilia. Externeque praeter praedicta linimenta, &c, emplaſtrum epiſpaſticum prope (quam proxime fieri queat) partem affectam applicandum.

SECTIO VIII.

Indicatio Curatoria Tertia.

Ut tertiae indicationi ſatisfiat, videlicet, ut convulſiones tonicae ſupprimantur; praeter praedictam evacuationem ſanguinis, medicamenta antiſpaſmodica ſunt applicanda: inter quae, in genere, clyſmata ſunt valde proficua, praeſertim Enema ex fumo nicotianae in inteſ-

tina inflandum; quae et repeti debet pro ratione ſymptomatum urgentium; vel Enema ex decocto capitis ovini, aut vitulini, vel inteſtinorum vervecini; et, in quantitate unciarum duodecim diſſolve extracti Thebaici grana quatuor, vel quinque; aut potius, ejus loco (ubi inflammatio graviſſima fuerit) moſchi grana decem, olei ſeminum lini uncias tres; miſce, fiat enema; injiciatur tepidum, et diu (ſi fieri poteſt) retineatur: commendantur balnea ſulphurea, etiam balnea artificialia calida, vel ſemicupia ex medicamentis emollientibus, relaxantibus, et antiſpaſmodicis: adhibentur aegris, paulo ante inceſſum, medicamenta antiſpaſmodica.

Cucurbitulae ſuper partem affectam regionis umbilicalis ſine ſcarificationibus applicatae, ut audivi, convulſionem tonicam amoverunt ſanaveruntque morbum. Ante uſum balnei vel ſemicupii, ſupra memorati, applicetur cataplaſma ſequens. Recipe opii colati drachmam

dimidiam, camphorae ſcrupulum dimidium; diſſolve in ſpiritus vini rectificati unciam unam; adde pulveris caſtorei drach. iv. mellis veteris uncias duas; fiat cataplaſma, quod ſuper alutam extenſum abdomini applicetur. Plantis pedum applicari poſſunt duo columbae, vel pulli, recens mactati, et per medios ſecti; vel toti pedes involvi poſſunt calidis pulmonibus agninis, poſt uſum balnei; et renovari debent applicationes pedibus, ſaltem ter in die.

Curatio interna hujus indicationis tertiae conſtat, in lubricando, et emolliendo tubam inteſtinalem, etiam fibras nervoſas laxando. ad hos fines conſequendos aliquatenus valent remedia ſequentia; videlicet emollientia, oleoſa, et antiſpaſmodica: emollientia, qualia ſunt amygdalae dulces excorticatae, ſemina papaveris albi, decoctum hordei, et ſyrupus althaeae in formam emulſionis redactus. Medicamenta oleoſa, veluti ſperma ceti, oleum amygdala-

rum dulcium, et juſcula pinguiſſima; ſed praecipue ſperma cetae, quod remedium eſt optimum ad viarum vaſorumque lubricationem; et quamvis ſemel atque iterum talia medicamenta vomitu rejiciantur, continuandus tamen, ſecundum Sennertum, eſt eorum uſus ad fibras relaxandas.

Remedia primaria antiſpaſmodica ſunt Julepum e moſcho et opiata: opium certe eſt remedium egregium, ubi rite applicatur, ſed ſumma prudentia hic opus eſt, ſi inflammatio adſit; quoniam inflammationem firmat et auget; itaque ſanguis mitti debet copioſe, priuſquam adhibeantur narcotica, in hoc morbo. Quin et quando opiatis uteris, adde medicamenta qualitatem horum noxiam corrigentia, inter quae laudatur Caſtoreum, quod opii narcoſin corrigit, et doloribus ſpaſmodicis medetur.

SECTIO IX.

Indicatio Curatoria Quarta.

ULTIMAE huic indicationi prospiciendum est non tantum venae sectione, enematis diluentibus, emollientibus, et laxantibus praedictis, itemque medicamentis emollientibus, oleosisque internis; sed omni insuper arte tentanda est obstructionis solutio; Primo, clysmatis purgantibus et stimulantibus efficacissimis; Secundo, purgantibus ore sumendis; Tertio, medicamentis oleosis et anodynis; Quarto denique, deobstruentibus. Enemata in hunc finem idonea sunt, decocti communis pro clystere unciae sex, in quo dissolve pilularum colocynthidis simplicium drachmas duas, salis gemmae unciam dimidiam, et syrupi rhamni baccae uncias duas. Quoniam autem in hoc morbo, clysteres nonnunquam vomitu rejiciuntur, adhiberi propterea debent, in quantitate parva,

aut in loco clysteris supra praescripti, fumus nicotianae in intestina inflandus validissime, et aptis intervallis reiterandus.

Hisce sine successu tentatis, necesse est ad cathartica fortissima confugere; sed summa prudentia hic opus est, quoniam quaecunque cathartica propinaveris, ea, emetica fiunt; praestat igitur opiata miscere cum medicamentis purgantibus, ut sub opiati praesidio cathartica retineatur, et suo munere defungatur; hujus rei causa convenit sequens. R. extract. thebaic. gr. i. castorei gr. v. extract. cathart. scrupulum unum, syrup. e spin. cervin. q. s. misce, fiat bolus, hora commoda sumendus; et postea, enemata cathartica ante praescripta, operationem ejusdem adjuvare et promovere per inferiora.

Tertio loco, Opiata, quanquam partium relaxationem efficiunt, et tormina acerbissima mitigant, non largiter adhibenda sunt per se,

ubicunque graviſſima inflammatio adeſt; ſed cum cautela, in quantitatibus parvis, cumque additione caſtorei, et medicamentorum aliorum corrigentium: obſervatu autem dignum eſt, nullum modum opii adhibendi eſſe aeque ſalutarem, ac in forma clyſmatum redacti; notum enim eſt, quod in acerbiſſimis torminibus, cum vomitu comitatis, grana quatuor vel quinque extracti thebaici, in enemate adhibita, dolorem illico mire leniverint, poſtquam idem medicamentum, per os ſumptum, nullum omnino auxilium attuliſſet.

Medicamenta oleoſa, qualia oleum amygdalarum dulcium, ſperma cetae, juſcula pinguiſſima &c in hac indicatione tertia frequenter uſurpanda, et in quantitate copioſa, ut ita tubus inteſtinalis relaxetur, lubricetur, et emolliatur.

Quod ad medicamenta deobſtruentia attinet ex innumeris, quae in hunc ſcopum apud

auctores inveniuntur vulgatiſſimum, atque (omnium medicorum conſenſu apud nos hodie probatiſſimum, et idcirco tutiſſimum) eſt argentum vivum; quoniam hoc medicamentum ponderoſitate et fluiditate curſum ſuum multa vi propellit. Etmullerus inquit, ‘ Deglutitio globulorum, aut argenti vivi, nil prodeſt, ſed potius malum exaſperat, ubi adeſt inteſtini inflammatio, gangraena, vel hernia, vel ingreſſus inteſtini ſuperioris in inferius.’ Hujus aſſertionis pars quidem altera vera eſt, altera autem erronea. Primo etenim, differentia inter argentum vivum, et globulos, ſive plumbi, ſive argenti, &c maxima eſt; quia argentum vivum fluidum eſt, ut et etiam ponderoſum; globuli autem aliorum metallorum non ſunt fluidi; ergo, non aeque in hoc morbo ſalutares. Secundo, Ubi inflammatio non eſt graviſſima, argentum vivum praeſcribere licet, bona cum ſpe eventus proſperi; etiam ubi ad-

fuerit ingreſſus inteſtini ſuperioris in inferius. In hernia autem nil prodeſt, ſed potius malum exaſperat, et in gangraena, vel inflammatione graviſſima, mortem accelerat.

Methodus argenti vivi adhibendi eſt in doſi unciarum trium vel quatuor, aptis intervallis, uſque ad libram unam, aut etiam amplius; et exitus ejus promovendus eſt per bolum cathartícum, et clyſma, ſuperius praeſcriptum; etiamque per medicamenta oleoſa, et frequentem ſitus corporis variationem.

Sin obſtructio ex polypoſis concretionibus, vel aliis tumoribus, ita ſit exorta, ut tubi inteſtinalis cavitas obſtruatur; tum neque venaeſectio, neque cathartica, detergentia, emollientia, relaxantia, deobſtruentia; neque aliud quodcunque remedium adhibitum, quicquid opis ad curationem hujus morbi adferre poteſt; neque aliud quam mors ipſa aegris levamini expectanda.

SECTIO X.

Corollarium.

FINEM jam huic dissertationi imponam; additis, postremo loco, observationibus sequentibus.

In hoc morbo tempus est maximi, in primis pretii, nullum itaque momentum otiosum praeterlabi patiendum; veruntamen, medicamenta imprimis leniora tentanda sunt, ne malum remediis exasperetur; sed tamen non diu protrahenda, ne nimium eo pacto procrastinetur tempus adhibendi potentissima. inter priora sunt, venaesectio, clysmata, emollientia, applicationes animalium viventium ad partem abdominis affectam, balnea calida, cucurbita, et epispastica. Inter posteriora vero sunt, opium, argentum vivum, fortiora cathartica, itemque clysmata fortiora.

Nulla indicatio est in hoc morbo in quo

venaeſectio copioſa non locum habet, ſive adſit hernia, ſive inflammatio, convulſio, aut obſtructio; quia copiam minuit humorum in arteriis et venis, ergo reſiſtentiam motui eorum per tubos reddit minorem; conſequenter inflammationem minuit, etiam diſtentionem nimiam removet totius corporis, parteſque ſolidas relaxat; in reponenda igitur, ſi adſit, hernia, vel in motu convulſivo, vel in obſtructione, utilis eſt.

Poſt miſſionem ſanguinis, clyſmata emollientia immediate adhibenda ſunt, docet enim experientia ſolidas corporis partes eſſe eo pacto relaxatas, quod ſtatim poſt venae ſectionem clyſmata leniſſima promptius operentur quam ante ſanguinis miſſionem operabantur fortiſſima. Si clyſteres autem vomitu rejiciantur aut ſucceſſu careant, non ſunt iterum adminiſtrandi, ſed eorum loco adhibeatur enema ex fumo nicotianae.

Inter medicamenta emollientia primaria ſunt oleum amygdalarum dulcium et ſperma ceti; fert tamen communis auctorum opinio, pinguia poros obſtruere et tranſpirationem inhibere, in omnibus adeo inflammationibus mala eſſe: in applicationibus externis hanc rem agnoſcere oportet, cujus tamen contrarium in oeſophago, ventriculo, inteſtinis, aliave parte quavis corporis interna, verum eſt; quoniam particulae oleaginoſae non ſunt adeo poris ſolidorum internorum contiguae, quam ſunt olea, unguenta &c, partibus corporis externis applicata.

In partium animalium applicatione qualia ſunt omenta, inteſtina, &c obſervandum eſt, ea non eſſe aeque in uſu ſalutaria, ac animalia ipſa viventia; horumque calorem perſiſtere diutius, et fortiorem eſſe, quam inteſtinorum, pulmonum, &c.

Nulla ſunt in hoc morbo remedia balneis

calidis praeſtantiora. Novi (in aliis morbis ubi balnea calida ſaepe uſurpantur, praecipue in iſchuria) medicamenta aegro ſedenti in balneo adhibita, eventu intra ſemihoram proſpero, quum haud quicquam profuiſſent eadem medicamenta ante adhibita. Vidi ipſe mulierem iſchuria ex concretionibus calculoſis in ductibus urinariis afflictam, ubi urinae ſuppreſſio ad ſeptimam uſque diem totalis fuerat, poſt medicamenta omnia irrito conatu tentata adeo ut neque emollientia, neque blanda diuretica, enemata terebinthinata, vel ſubitanea pedum aegrae in aquam frigidam immerſio et ſimilia, neque aliud quodcunque adhibitum remedium quicquid ad curationem conducere valeret, donec aegra in ſemicupio poſita erat; tum autem, ea ipſa medicamenta emollientia, atque blanda diuretica favente ſucceſſu adhibita ſunt mulieri praedictae in balneo ſedenti, urinae enim evacuatio perficiebatur horae circiter ſpatio; intra

horam autem tertiam via patefacta est ad ejiciendas duas concretiones lapidosas ad magnitudinem circumferentiae internae ureteris.

Quod si medicamenta et remedia mitiora hactenus memorata non valde profuerint, confugere licet ad potentissima, qualia sunt opium, argentum vivum, cathartica fortiora, et fortiora itidem clysmata. Praestat primo loco adhibere opium cum cathartico, &c. ut antea praescriptum, et post tertiam horam, argentum vivum: huic autem successu deficiente, necesse est clysmata cathartica fortissima adhibere quo scilicet promoveatur argenti vivi exitus. Reminiscendum est etiam suppositoria ex medicamentis catharticis acrioribus laudari ab his, damnari ab illis.

Sequentia porro in aegrorum regimine observanda sunt, diaeta quidem sit tenuis ex avenaceis, ptisanis et id genus aliis per totum morbi decursum; atque potus autem sit posse-

tum herbis emollientibus impregnatum, quod et debet esse neque nimis calefaciens, neque valde refrigerans: quandoque etiam aegri analepticis sustentandi sunt, non spirituosis inflammatoriis, aut quocunque modo pungentibus, stimulantibus vel acribus. Decumbat denique aeger in lecto corporisque positio frequenter varietur a latere siniſtro ad dextrum, et e contra, a positione etiam erecta ad supinam, et e contra, praecipue post exhibitum argentum vivum quo scilicet, operatio per inferiora subinde promovebitur.

FINIS.